

cepero in mandatis. Et super premissis omnibus, & singulis plenam & fidelem rationem reddam vobis, & si contingat vos officium, quod in præmissis geritis, dimittere, hec eadem faciam juxta mandatum illius qui substituetur in eodem officio. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia. Datum Lugduni decimo secundo Kalendas Octobris Pontificatus Nostri Anno Tertio.

865.

1275.

Mäster PALNES Testamente af fastighet, penningar och andra saker till kyrkor och kloster.

A. 4. d. 8.

Vniuersis presentes litteras inspecturis. Magister Palno. Salutem in uirginis filio sempiternam. Quoniam uarij sunt humane fragilitatjs euentus et cum terminus mortis omnibus sit incertus. Humana eciam memoria cum tempore labi solet necesse est dubios casus certis rationibus preuenire. Ego igitur de salute anime mee sollicitus ad notitiam singulorum uolo peruenire quod testamentum meum mente sanus et ratione licet uiribus corporis destitutus sic deliberando statuj ordinare. Ecclesie sancti Petri cathedrali in strengines confero sex horas terre in berge cum domibus omnibus que ibidem sunt. Insuper duos boues. quatuor uaccas. sex oues et sex sues sub hac forma. ut redditus dicte mansionis dentur ad eiusdem ecclesie edificjum. donec canonici in ipsa fuerint instituti. et post addatur unj prebende ut eo deuocius in memorata ecclesia deo seruiatur. et nomine meo diligenter conscripto & annumerato cum nominibus specialium benefactorum eius memoria mej post mortem perpetuo habeatur. jn missis. uigilijs et alijs bonis que per eos et eorum successores operari dignabitur clemencia saluatorjs. Jtem ecclesie de auem vnum solidum terre & unam hastam. et ecclesie de kyrnum unum solidum terre in arnum. Jtem ecclesie huseby. unum solidum terre in ipsa parrochia. Jtem ffratribus predicatoribus de strengines. duas marchas denariorum. ffratribus de westræ arros. duas Marchas denariorum. Ad domum sicutuniensem duas Marchas denariorum. Jtem ffratribus minoribus de henecopia. sex Marchas denariorum. et unam nauem que dicitur scutæ. cum attinencijs suis uniuersis et unum tentorium & apud eosdem eligo sepulturam quia prior vxor mea sepulta est cum eisdem. ffratribus de orientali aros duas Marchas denariorum, ffratribus de stochvln duas Marchas denariorum. preterea illustribus dominis. domino .W. regi suecie & domino .M. dei gracia duci suecie. & domicello Erico et domicello benedicto gracia quorum me cetera recognosco habuisse humiliter supplico et deuote ut sint exequutores huius testamentj. Vt autem testamentum hoc robur obtineat firmitatis testium ydoneorum uidelicet dominj .A. strengnensis episcopi. & prioris. Ja. ordinis predicti et conuentus domus strengnensis. sigillis presentem litteram feci roborari.

Af 4 Sigill finnas små stycken qvar.